

conceſſio Bullæ datâ habeatur pecuniâ, in more eſſe non ſolet, nec decere videtur Apoſtolicam Maieſtatem. Vnde Portel ſuprà, Caſu 4. num. 1. Cenſurâ dignam affirmat ſimilem aſſertionem de contractu oneroſo. Potuit autem citatus Au- ctor ex præfatâ collatione ad anteriorem publi- cationem pertinente, æquiuocatione huiusmodi laborare. Deinde, etiamſi Bulla Urbani effe- ctum habuerit, nihil debuit ex receptâ ſummâ reddi, quia ipſe Bullam conceſſit more aliorum Pontificum, & præſertim Clementis Octauî; atqui illi eam Religioſis in ordine ad effectum dic- tum minimè conceſſerunt: ergo contractus non eſt celebratus; & ita ex eo illa non reſul- tat obligatio. Si tamen tale aliquid conſtet acci- diſſe, ex quo contra Aduerſarios potiùs argumen- tum inſurgit, quia Pontifex accepit dictam ſum- mam, & tamen prohibuit Religioſis vltim di- ctum, nullâ in ſe reddendi quidquam obligatione recognitâ.

Regiſtro in Concilio Inſtarum non equiſſe Urbani Bullam.

337 Ne autem quis obſtrepat, & in Indiis non obligare Bullam Urbani contendant, ex eo quòd non ſit in Regio earum Concilio regiſtrata; ſtatuendum eſt vti certiffimum, Bullas vniuerſo Orbi Chriſtiano communes, aut eas, quæ regnis Hiſpaniæ ac Indiis tales ſunt, ſine regiſtro præ- dicto, etiam attentis Regiſ legibus, vim obli- gandi habere: quia leges Regiſtrum ſtatu- entes, de iis procedunt Bullis, quæ pro Indiis ſpecialiter expediuntur: vt videri poteſt apud Emmanuelem Rodericum Tomo 11. q. regul. q. 35. artic. 2. & quidquid de hoc ſit, ea quæ ad Cruciatam ſpectant, ad Regium Concilium non auctantur, ſed ad Concilium Cruciatæ ipſius, & eum Bulla ad patronatum Regium non ſpectet, & ea, de quâ agitur, ſolam priuilegij limitatione & declarationem contineat, indubitabile eſt nul- lo ad obligandum regiſtro penitus indigere.

Vulgaris exempli diſcuſſa ca- ligo.

338 His ergo pro euidentiâ poſitionis no- ſtræ præmiſſis, reſtat ſolum ad vulgare exemplum quo res iſta declarari & componi videtur, reſpon- dere. Prohibet Pontifex per Bullam adductam vltim Cruciatæ Religioſis quoad præſatum arti- culum: ſed poſteâ illam ipſe, aut alius conceſſit nullâ adhiberi limitatione: huic eadem poſteriori determinationi parendum. Quemadmodum ſi Prælatuſ iubeat alicui ne cras domo exeat, etiam- ſi ipſe vt exeat eidem iubeat, aut copiam exeundi faciat: poterit iſi juſſione, aut licentiâ ſubſecutâ exire; quia hic & nunc iubenti obſequendum eſt, & exitu poſitâ licentiâ licet: aut ſi exeat, non eſt propterea damnandus, quia jure ſuo vltus eſt. Sed leue ſatis hoc eſt; cum ex adducto exemplo potiùs oppoſitum colligatur. Is enim, cui ſic juſſum eſt, juſſione ſubſecutâ exire nequit, quia ſic expreſſè eſt eidem intimatum, & talis juſſio habere debet effectum poſito illo additamento, quòd rationabiliter poteſt poni ob finem ali- quem; aliâſ nullius momenti eſſet. Secùs erit ſi dicat Prælatuſ vt exeat non obſtante prohibi- tione hæſternâ, jam enim tunc prohibitio reuocat- tur. Cum ergo Pontifex expreſſè dicat non eſſe ſuæ voluntatis vt Bulla proſit Religioſis quoad effectum dictum, etiamſi de prohibitione tali mentio in Bullâ non inferatur; quando illam ſine prohibitione conceſſit, priori diſpoſitioni

ſtandum omnino eſt. Quòd ſi ipſe aliud veſt, declarèt & exprimat in Bullâ ipſâ. Et vltimam declaratio, quæ oportet, obſingat, vt moleſtiſſi- mæ iſtæ controuerſiæ ceſſent, Religioſum con- ſulatur commodo, tranquillitati, decoro. Licet enim expreſſione conſtante non ſint modum in- ſcirpo quærentes deſuturi, vt num. 334. diceba- mus; pauciores tamen erunt huiusmodi homines, & doctis non fauentibus, eorum tandem perti- nacia penitus comprimeretur.

339 Omitto alia, pro quibus videri citati poſſunt, neque enim inſtituti mei eſt iſta ex pro- feſſo proſequi, ſed veritate firmatâ, nonnulla à modernioribus obiecta diſſoluere, ne aliqui no- uioribus iſtis delectati, non per viam ſalutis incedant, ſed Matris Eccleſiæ, & doctiſſimorum ho- minum hortamenta ſectando, in ſectro ſuas con- ſcientias ſtatuant, quo nihil ſollicitiùs accuradum. Videte itaque, fratres, quomodo caute ambuletis; non vt inſipientes ſed vt ſapientes; vt verbis vtar Apoſtoli Ephes. 5. v. 15. Videntur ſiquidè vt inſipientes, & ita non caute ambulare, qui vnius aut alterius ſum- miſtæ ſententiam arripientes, relicto lapientiſſi- morum Theologorum lumine, ſalutis ſuæ nego- tium in apertum diſcrimen adducunt. Ergo do- mus Jacob, electorum beata propago, venite, & ambulemus in lumine Domini. Iſaie 2. v. 5. vt vitæ lumen à Chriſto promiſſum conſequi mereamur. Redimentes tempus; quoniam dies mali ſunt: pleni inquam periculis, & mortis inopinæ incurſione terribiles. Et quiſnam erit, cui ſub mortem o- pinionum iſtarum non torqueat amplexus, de incerto remedio peccatis adhibito, formidoſo, anxio, trepidanti, & inter extremas anguſtias de- prehenſo? Per tuta ergo, per ſolida, per plana, per dilucida, & placida gradiamur.

Ad ſacrâ tenendam viâ nego- tio in præ- ſenti vehe- mens ad- hortatio.

Ephes. 5. v. 15.

Iſa. 2. v. 5.

Circa nouitios quomodo favorabilior Bulla.

340 Poſſe illos beneficio illius integrè frui, ex multorum ſententia colligitur, quos adducit & ſequitur Diana Parte 3. Tractat. 2. Re- ſolut. 4. & Parte 4. Tractat. 4. Reſolut. 5. aſſerentes Nouitios quoad electionem Confeſſarij eandem quam ſæculares, habere facultatem, quia caſuum reſeruatio pro Religioſis illos non comprehen- dit. Et hæc eſſe communior ſententiam ipſe & alij teſtantur: licet non contemendi Aucto- res ſint, videndi apud ipſum, & apud P. Gaſpa- rem Hurtadum ſimiliter ſentientem Diſput. 11. de Penitentiâ, Diſſic. 7. qui contrarium tueantur: & præter adductos à Dianâ pro ſententiâ ſuâ, illam tenent P. Mendus ſuprà, num. 172. Baſſæus V. Ca- ſus reſeruat. n. 41. apud quem præter alios Tam- burinus de jure Abbatum Tomo 2. Diſput. 13. quæſt. 5. P. Bauny Tom. 1. tractat. 4. q. 21. P. Palaus Tomo 3. tract. 16. diſp. 1. Puncto 10. n. 9. vbi ait id P. Suarium tamquam certum tradere Tom. 4. de Religione, tract. 8. lib. 2. cap. 17. n. 12. vbi de hoc nec verbum. Qui tamen cap. 16. n. 10. probabilius eſſe ait Bullæ priuilegio gaudere, quia non habent integram ſubiectionem, & propter alias rationes, de quibus ſtatim. Quidquid ergo de reſeruatione ſit, quoad effectum dictum cum P. Suario ſentiant P. Palaus ſuprà: licet teneat Nouitios ita eſſe ex- emptos

Nouitijs integrè vti- lere Bullâ qui con- ſeant.

emptos à iuriſdictione Epifcopi & Parochorum, vt nequeant ab illis abſolui in eadem dioceſi ſeu Parochiâ, ſiquidem Religioſis exemptio etiam Nouitios comprehendit: quod ex P. Suario hau- ſit numer. 14. 15. & 16. quibus addendum id, quod habet idem Cap. 19. num. 1. P. Elcobar Exa- mine 17. Cap. 5. 5. Quid de Nouitijs. Qui etiam vt iuris communis id poſſe affirmat, quia onus eſt reſeruatio, à quo illi deobligantur. P. Mendus ſuprà & alij.

Aſſertio 1. Nouitios peccata poſſe reſer- uari.

341 Dico primò. Pro Nouitijs locum ha- bere poteſt reſeruatio. Sic Corduba Vmbertus, P. Luſius Turrianus, P. Suarez, & P. Vaſquez apud P. Hurtadum ſuprà. P. Layman Libr. 4. Tract. 5. Cap. 4. num. 4. verſ. Colligitur Quarto. P. Mendus num. 172. Quod in Societate ſic ſta- tutum in Regulâ. 7. Magiſtri Nouitiorum, quæ ſic habet: Habeat hic idem Magiſter Nouitiorum poteſta- tem ordinariam abſoluendi à caſibus reſeruat. Nou- ritios, qui ſub ipſius curâ degunt; niſi eius Superiori hæc ſacultas aliqua de cauſâ reſtringenda videatur. Sic Regula: quæ quidem conſilio doctiſſimorum fa- cta, vt obſeruat P. Hurtadus. Eſt autem pro Aſſertione ratio ſatis efficax ex omnimodâ ex- emptioe deſumpta: nam Nouitijs omnino exem- pti ſunt à iuriſdictione Epifcopali, & conſe- quenter ab omni aliâ inferiori, & ita cum ſpiri- tualis in Superiores eſt Religioſum tranſlata, vnde & dari illis Confeſſarios poſſunt, etiam non approbatos ab Epifcopis ſicut & Religioſis, qui iam vota Religionis emiſerunt: ergo & poſ- ſunt Confeſſarijs talibus iuriſdictionem in ordine ad peccata aliqua limitare. Patet Conſequentia: quia hac ratione poſſunt limitare pro alijs, ſcilicet quia limitatio talis ad abſolutam poteſtatem ſpectat in ordine ad ſpiritualem gubernationem, pro quâ valde conueniens eſſe poteſt. Quis autem dubitet conuenientem eſſe pro Nouitijs, ad quorum fundandam conſcientiæ puritatem hoc maximè expedit; ſicut ad capiendâ experien- tiam in ordine ad vitam reliquam? Id quod con- firmari poteſt ex eo quod aiunt Auctores aliqui ex adductis, vt videri præſertim poteſt apud Dia- nam, & Baſſæum, Nouitium, qui pro reſeruat. Confeſſarium ſiue ſæcularem, ſiue Regularem quæreret qui non eſſet ex aſſignatis, à Religione expellendum: ergo talis reſeruat. maximè con- gruit ad Nouitiorum probationem. Quamuis circa hoc caute loqui oporteat: neque enim ſciri poteſt reſeruat. aliquem eſſe conſeſſum, niſi ex manifeſtatione eius, qui conſeſſus eſt, aut Con- feſſarij. Et Nouitium quidem non manifeſtatu- rum videtur clarum, cum propterea Confeſſa- rium extraordinarium quærat, vt ſcilicet lapſus ſui minus ſint Superioribus manifeſti. Confeſſa- rium etiam ſeruaturum ſecretum, quod cum o- bligatione ſigilli exceperit, dubitari nequit: ergo praxis circa hoc, vt ſcilicet ad expulſionem de- ueniat, difficilis eſt.

Regula Societatis ad ſtatuen-

Ratio effi- cax ex omnimoda exemptio- ne.

Doctrina aperte fa- uens homo- rum Au- ctorum.

Notanda Cauteſta.

Aſſertio 2. Nouitios poſſe à re- ſeruat. per Bullam abſolui.

tatem reduci Pontificum, de illâ non admodum conſtat. Et quidem Clemens Octauus in Decreto de Reformatione Nouitiorum §. 94. ſic ſtatuit: Ipſi autem ſoli Magiſtro Nouitiorum Confeſſiones audien- di cura committatur: liceat tamen Superiori etiam locali, ſi ita expedire iudicauerit, vel per ſe ipſum, vel per alium deputandum, ſemel aut bis in anno eorumdem Nouitiorum Confeſſiones audire. Sic ille. Iuxta quæ ſatis intelligitur non eſſe voluntatis Pontificiæ vt nouitij laxam circa Confeſſarij e- lectionem habeant facultatem; cum circa hoc minorem illis concedat, quam Profeſſis, pro quibus Confeſſarios plures iubet in ſuo Decreto de caſibus reſeruat. assignari. Si ergo Nouitij legibus ſunt reſeruationis adſtricti, non licebit il- lis Cruciatâ vt quoad illa, quâ mens Pontificum in eorum fauorem (ſi tamen fauor iſte dicendus eſt, qui in detrimentum Religionis vergit, vt in ſimili ait P. Palaus ſuprà cum P. Suario) minus quam in alios inclinata reperitur. Quòd ſi ad communem rationem de oneribus Religionis, à quibus liberi Nouitij ſunt, recurramus, fallit certè illa in onere reſeruationis, ſub cuius ſup- poſitione procedit Aſſertio: ergo & in Bullæ beneficio, quod eſt conſequens, ſicut & in Pro- feſſis ob eandem rationem. Nihilominus quia graues Doctores ita ſentiunt, & quod ad reſer- uationem attinet non eſt proſus certum, turè ſuſtineri & praticari poteſt quod ipſi tradunt, accedentibus rationibus congruentiæ, quas ad- ducit P. Suarez: & ea inter alias, quòd Religio ex hoc non videtur graue pati detrimentum, quòd Pontifices ſuis Decretis amoliri ſtude- runt. Et certè non mirum ſi nuper naufragio e- iectus in littus, vt Diuus Hieronymus loquitur, è ſæculi inquam occaſionibus in portum Religio- nis, falſas quas bibit aquas, non penitus reuo- muerit; ſi adhuc ſibi ræ peccatorum hæreant pau- latim euellendâ.

Decretum Clementis Octauî.

Qua pro illo ratio ſuffrage- tur.

343 Dico tertio. Qui poſt emiſſa Religionis vota ſub curâ Magiſtrorum ſicut Nouitij ſunt, Bullæ beneficio frui nequeunt patet: quia verè Religioſi ſunt, & Pontificum Decreta de veris Religioſis determinant. Vnde & eos, qui in So- cietate I E S V vota Religionis emiſerunt, & nondum Profeſſi ſunt, eo non gaudere ſine vllâ eſt proſus dubitatione tenendum. Secùs autem ſentendum de Oblatis, ſeu Donatis: ij enim, cum Religioſi non ſint, neque in viâ aut proba- tione ad illud, vt Nouitij, ex nullo capite impe- diuntur quominus gaudere beneficio Bullæ queant. Quando autem iſti ſe ſuaque omnia Reli- gioni deuouerunt, vnde & cura ſpirituales eorum omnino eſt ad Superiores Religionis tradu- cta, videtur non inueroſimile, poſſe pro illis pec- cata aliqua reſeruari, quia hoc ad eorum ſpiritualem profectum poteſt pertinere. Tunc autem amplior eis tribuenda facultas ad Confeſſarij e- lectionem.

Aſſertio 3. negans de Præſatis ſub cura Magiſtro- rum, & Religioſis Societatis non Pro- feſſis.

Circa O- blatos quid.

De Religioſibus Militarijs.

344 Poſſe illas indulto Cruciatæ frui quoad articulum, in quo ſumus, tenet Trul- lench ſimò & quali actum ſupponit Dub. 9. ci- tato num. 3. pro quo citat P. Henriquez Libr. 7. Cap.

Religiones non Mendicantes priuilegio Bullæ gau- dent.

dere quoad referuata, non vero a Trullenchio afferunt.

Cap. 22. num. 4. L. Y. vbi de Religionibus Militaribus nihil in speciali habet, sed generaliter de non Mendicantibus loquitur, quia illæ non comprehenduntur Decretis Pontificiis prohibitionem continentibus. Quod quidem doctus Pater dicere verosimiliter potuit eo, quo scribebat, tempore, ante septuaginta scilicet annos, non tamen Trullenchius eius auctoritate subniti, cum haberet expressas posteriorum Pontificum decisiones de Religionibus Mendicantibus, & non Mendicantibus expressè procedentes, vt videri potest in adductis num. 328. Eas tamen non vidisse ex eo apparet; quod cum eodem Patre & Emmanuele Roderico, idem quod de Militaribus assererat, ad non Mendicantes extendit, cautè addens: *Attendendus tamen est indulti tenor. Vnde si tantum loquatur de Mendicantibus, non est extendendum ad non Mendicantes: quia exceptio firmat regulam in contrarium.* Sic ille. Non ergo potest, vt aduersans, citari in ordine ad non Mendicantes. Quoad Militares autem ex eo id probat, quia ita videtur deduci ex clausula illa, vbi in prohibitione velendi ouis & lacticiis pro Regularibus facta non comprehenduntur Militares. Sed bene P. Mendus supra num. 274. consequentiam negat, quia ex vno aliud non sequitur: immò ex eo quod ibi exceptio facta sit, & non in reservatione, contrarium colligitur, arguendo vt ipse Trullenchius arguit, quod exceptio firmat regulam in contrarium. Excipiuntur quoad oua & lacticia, & non quoad alia; ergo nihil licet circa illa. Adde circa oua & lacticia specialem rationem succurrere ex eo quod Militares sint, & ita non debeat ieiunij tenor ab eisdem cum omni suo rigore postulari, cum viribus maioribus egeant ad armorum tractationem.

Melius ex verbis Urbani colligitur.

345 Nihilominus satis verosimile existimo Religiosos dictos, qui scilicet Milites sunt, Cruciatæ indulto gaudere, quod ex verbis Bullæ Urbani colligo adductis num. 328. sic enim habet loquens de simili Decreto Clementis Octauij: *Declarauit facultatem & concessionem S. Cruciatæ, & aliorum indultorum prædictorum, quantum ad prædictum articulum eligendi Confessarium, & absoluenti à casibus referuatis, non habere locum cum Fratibus & Sororibus Monialibus quorumcumque Ordinum &c.* Milites autem Regulares non solent in communi vltu vocari Fratres, sed ij tantum, qui apud illos Ordines ad Clericalia officia profitentur. Deinde, in Militaribus deficit motiuum Pontificiæ decisionis: dispendium scilicet obseruantia Regularis, vt ex tenore litterarum constat, de quibus num. citato. Nam Milites isti in sæculo viuunt, & more item sæcularium, peccatorum occasionibus implicati: & ita siue facilis siue difficilis absolutio sit, eodem modo illorum, vitæ cursus transigendus, vel certè non erit magni momenti differentia. Item, ob instantiam Religionum Mendicantium, & Monachalium, indulta sunt illis multa concessa vt earum Religiosi non possent Cruciatæ concessione quoad referuata gaudere, vt videri potest ex adductis à Basilio post alios. V. Casus reservatio. num. 36. vers. & licet: & Trullenchius Dub. 9. citato. n. 6. Pro Militaribus autem nihil tale occurrit: ergo signum est decisionem ad illas non pertinere. Tandem præcipua causa Sedis Pontificiæ in causa præsen-

Alia pro eodem coniectura.

ti circa Mendicantes versatur, vt constat per exceptionem, in illarum gratiarum reuocatione in Bullâ appositam: ad hanc autem gratiarum conseruationem limitationem quoad referuata spectare, probant plures ex adductis, & præsertim P. Suarez Cap. 16. inato. n. 4. & Cardinalis Lugo supra num. 170. & seqq. qui ex eadem specialem rationem pro Mendicantibus subesse, vt certum statuit, cum tamen de aliis subdubitare videatur: sic enim ait. num. 179. *Ad hoc facile respondetur, sub illa vniuersitate verborum non comprehendendi Regulares, saltem Mendicantes. &c.* Si ergo neque de Monachalibus adeo sollicita cura est, de Militaribus certè non videtur adeo vrgens, vt eas voluerit licentiæ tantopere earum statui congruentis omnino expertes remanere. Quod si eas quoad hoc non expressit, cum expresserit quoad alia, idè esse potuit, quia circa alia id erat necessarium exprimi, quod circa articulum aliorum satis compertum ex fine Bullæ ipsius videbatur. Est ergo positio ista probabilis. Iam ad aliam.

Card. Lugo.

Electio Confessarij pro non referuatis an liceat beneficio Cruciatæ.

346 **A**ffirmant Emmanuel Rodericus, & Ludouicus à Cruce apud Trullenchius Dub. 9. citato. n. 25. quos & sequitur Leander. Tomo 1. Tract. 5. Disp. 12. Quest. 62. P. Quintanad. Tomo. 1. Tract. 3. singulari 18. P. Escobar Examine 17. citat. Cap. 5. vers. Num. Regulares. P. Mendus Dissut. 24. Cap. 18. Quorum fundamenta sunt. *Primo.* Quia ex toto tenore Bullæ, siue proœmium attendamus, siue decisionem, neque Clemens, neque Urbanus aliud indicant quàm referuata: quantum ad prædictum articulum eligendi Confessarium, & absoluenti à casibus referuatis. Sic mens Clementis declaratur, quæ vt iacent ab Urbano approbantur, & innouantur: cuius & illa verba: *Disposizioni suorum Prælatorum, & Sedi Apostolicæ, quoad sibi referuata subiecti sunt.* Sic ille postquam eadem verba protulit, quæ promente Clementis declaranda præmiserat, & à nobis adducta. Narratiua autem Procuratoris Carmelitani solos casus referuatos sonat, pro quibus attributa libera electio, in detrimentum Regularis disciplinæ redundabat. *Secundo.* Quia pro negado beneficio isto saltem non est mens expressa Pontificum: ergo cum de onere subinueniendo agatur, in partem est benigniorem inclinandum: quia iuxta Iuris regulam, Odia sunt restringenda, & fauores ampliandi. Neque dici potest non esse odium, quod in fauorem Religionis tendit, & maiorem securitatem animarum: nam hac ratione nulla erit quantumuis onerandis positio, quæ fauorabilis non sit: quandoquidem, quidquid ius Canonicum disponit, ad salutem animarum dirigitur, atque ad vitanda peccata: & si ad Religiosos spectet, ad Religionis etiam bonum non constet ordinari. *Tertio.* Quia ex hac facultate non sequuntur inconuenientia quæ ex referuatis: hæc enim grauiora crimina sunt, pro quibus facilis absolutio esse non debet; vt difficultas ipsius fratrum ipsorum criminum habeatur. Vnde non referuata potest quis pluribus confiteri, qui pro illis in Religiosis domibus assignantur. *Quar-*

Pro non referuatis valere Bullam qui censent.

Eorum fundamenta.

Clementis & Urbani verba.

Quar-

Etiam si licentia ista aliquomodo deroget Religiosæ disciplinæ, ratione boni publici potest dampnum illud compensari; maiora enim sic dampna euitantur, infidelibus superatis, ex quorum potentia grauissima possunt in Ecclesiâ damna formidari: quod quidem in licentiâ sæcularibus concessâ pro referuatis Sedi Apostolicæ fieri necesse est. *Quinto;* quia sicut summum ius non est ius, sed iniuria: ita Religiosorum libertatem in angustias redigere, in destructionem potius erit, quàm in conscientia edificacionem, & non referuati, innumeriq; casus existimabuntur referuati; siquidem nec virtute priuilegij vllius, nec Cruciatæ, ab aliquo mortali absolui possunt Regulares nisi à deputatis, quod maximè repugnat menti Pontificum adeo limitantium casuum referuacionem, vt ex Decreto Clementis VIII. præsertim apparet. *Tandem* in facultate istâ non solum attenditur ad commune bonum ob causam dictam, sed etiam quia ad illud spectat, non ita arcum inflecti vt frangatur, & nullus aditus pateat respirandi animabus præ pudore in commissis penè periclitantibus: si præsertim ordinarij Confessarij austeriores, ac scrupulosiores iusto censentur: & Confessarius extra Religionem, vt decet, non est querendus, nec de ignaris aut minus timoratis eligendus.

Primum dissoluitur, ex Bulla Clementis & Urbani nihil haberi contrarium.

Illius verba.

Clausula maioris claritatis gratia addi solitæ.

347 Sed profectò adducta non vrgent; quia aut nihil probant aut nimis, ex quo etiam fit nihil probare, vt iam ostendo. Ad primum. Exordium Bullæ, & postulatio Procuratoris non vrget, cum constet decisionem Pontificiam ad alia extensam, quæ postulatio non continebat. Procurator enim causam suæ Religionis agebat, & tamen decisio ad omnes est Mendicantes directa, ex quibus est Carmelitana, nec solum ad Mendicantes, sed etiam ad non Mendicantes. Item, postulatio de Monialibus nihil continebat, & tamen ad illos est etiam decisio prorogata. Quod autem de referuatis loquantur Pontifices, est quidem verissimum; sed quod de his solis, non ita cum generalis decisio eam non habeat limitationem: *Sed quod idem Fratres, & Moniales quantum ad Sacramentum Penitentia, seu Confessionis administrationem, dispositioni suorum Prælatorum subiecti essent.* Quæ sunt mera Bullæ verba. Vbi si dicas intelligenda iuxta præcedentia & sequentia: *Quantum ad prædictum articulum eligendi Confessarium, & absoluenti à casibus referuatis, nihil certè ex eo conficitur; cum potius oppositum sequatur: duo enim ibi dicuntur, scilicet non licuisse electionem Confessarij, neque absolutionem à referuatis. Et licet negari nequeat aliquando particulam, & expositam esse: quod tamen hoc loco id habeat, gratis asseritur. Et quod non debeat sic accipi, ex inferius appositâ clausula colligitur, in qua de referuatis nihil. Bene verum est quod si electio Confessarij tantum negaretur, consequenter erat facultas pro referuatorum absolutione negata: sed oportuit eam exprimi, quia de eo præcipue agebatur, & postulantibus de alio forsitan non curarent, sed maioris claritatis gratia, vt in adductâ clausula: *Quantum ad Sacramentum Penitentia, seu Confessionis administrationem: vbi facta erat Sacramentum Penitentiae dixisse, cum constet illud esse Sacramentum Confessionis, sed maioris id claritatis gratia gemina-**

tum. Propter quam rationem addi aliquando clausulas, & ita non esse inutiles, obseruat Coarruuias Lib. 2. variar. l. 5. n. 9. Pro quo & videndus P. Th. Sancierus in Opere morali lib. 2. c. 22. n. 30.

348 Verba autem illa, *Dispositioni suorum Prælatorum, & Sedi Apostolicæ, quoad sibi referuata subiecti sunt,* non item aduersantes iuuant, sed vrgent: vt enim testatur Cardinalis Lugo n. 199. eorum sensus est, circa Sacramentum Penitentia Religiosos suorum Prælatorum dispositioni subiectos esse debere, sed non ita vt subiectio talis ad referuata Sedi Apostolicæ debeat extendi: vnde eidem Sedi quoad sibi referuata debent esse subiecti, illius circa ea dispositionem amplexi. Quem sensum quia non ita exprimebant verba Clementis, idè ab Urbano prudenter adiecta: & ita sibi testatur Illustrissimum Maraldum, qui Bullam præfatam Urbani iussu contulit; vehementerque admiratum, quod in illo alio sensu, quem Moderni contendunt, potuerint accipi, cum in eadem Bullâ totum Clementis Decretum innouetur. Illustrissimus, & Eminentissimus Cardinalis attestatur: qui tunc quidem Cardinalis non erat, esse tamen meruit; vt de illius nequeat fidelissimo testimonio dubitari. Ad quod quidem aliqua minimè solida video responderi. Dicitur enim Illustrissimum Maraldum quando consultus fuit, fortè legitimi sensus oblitum. Item eum quidem in eo posuisse sensu, quem affirmavit; sed ab Urbano in alio, qui planior & fauorabilior est, cum Bullam legeret aut lectam audiret, verba prædicta comprobata. Quin etiam, cum res ambigua sit, non debet vnus Maraldi attestatio rationum efficaciam infirmare.

Vera insolentia verborum Bullæ, quæ male aduersantes accipiunt.

Quædam minimè solida responsiones.

Dei iuratur illa, testimonio Illustrissimi Maraldi roboratur.

349 Sed quis non videat hæc inconscientius pronuntiare? Miratur Illustrissimus Maraldus nouum illam verborum sensum, & rationem reddit ex eo quod Clementis Decretum fuerit innouatum; & tamen oblitum illum asseritur eius, quod ante annos tres cum tantâ fuerat animaduersione & consultatione dispositum. Quod autem in vno positum sensu, & in alio approbatum Decretum, indigna est viro sapienti coniectura, etiam generaliter loquendo, cum decisiones Pontificiæ iuxta mentem Pontificum construantur exactissimâ consultatione præmissâ, & recognitione scriptorum: quod si non vt certissimum iaciat fundamentum, Pontificiæ poterunt decisiones, vt vitio incertitudinis quoad sensum verborum laborantes improbari. In casu autem nostro id est speciale, quod clausula dicta prudenter est ab Urbano adiecta, quia in Decreto Clementis, vt supra dictum, non ita expressum habebatur. Licet autem vnus alicuius dictum non debeat rationum efficaciam infirmare: quando tamen rationes omnes ad auctoritatem, circa quam versatur dictum illud, reuocantur, maximi profectò momenti illud est: & resti de facto proprio deponenti integra fides adhibetur, vt ex Innocentio, Aretino, Surdo, & aliis, habet Marius Antonius Lib. 3. variar. Resolut. 17. num. 2. Nec rationes ita efficaces sunt, vt is, qui sic responder, arbitrat, cum facillimam habeant solutionem.

Testi de proprio facti non creditur.

350 Ad secundum satis esse apertam mentem Pontificum, vt ex dictis apparet, quorum attentio singularis circa regularem obseruantiam excubat, nolentium debitam subordinationem infirm-

Secundum infringitur ex abordinatione Religiosa, quæ